THESES THEOLOGICÆ

QUAS ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO

PAULO FRANCISCO JUSTINIANO

EPISCOPO TARVISINO

DUCI, MARCHIONI, ET COMITI

SS. D. N. PP.

Prælato Domestico, & Pontificiò Solio Episcopo Assistenti &c.

D. D. D.

DOMINICUS BREDA

Seminarii Tarvisini Alumnus Auditor

JOANNIS ANDREÆ PICCINATO

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS

Ejusdemque in eodem Seminario, & Sacræ Scripturæ

PROFESSORIS.



TARVISII, MDCCLXI.

EX TYPOGRAPHIA SEMINARII.

Superioribus Annuentibus.

(III.)

ILLUSTRISSIME, ET REVERENDISSIME PRÆSUL.

EX *privata ludi consuetudine in hanc lucem prodeo adolescens, tuis quidem jussis lætus, sed non meis viribus satis confisus, ac securus. Verumtamen quod unum mihi solatium est, humanitate Tua, & auspicio recreor, atque confirmor. Nam quid auderem, aut possem adolescens sine Tuo numine in tam gravi certamine,*

ne, ac periculo conſtitutus, & nunc primum amplitudinem loci hujus, & hominum frequentiam expertus? Verum non ita hæc cogitatio me recreat, ut non ſæpe mihi imbecillitas mea ſuccurrat, qua vereor, ne Tuis votis, atque hominum expectationi ſatis reſpondere videar, præſertim cum ſentiam, eo plura a me expoſci, quo majorem omnes ſciunt Tuam eſſe in alendis ſtudiis, ac fovendis diſciplinis curam. Solent enim homines hunc locum per Te auctum, & ornatum, tanquam Tuos hortulos reſpicere, in quos ſæpiſſime deſcendis, quos caros Tibi habes, & Tuo lumine propius illuſtras, & ita curas, ut bene præculti, & doctrinarum quaſi lacte, & ſucco enutriti ſint, ut appareat, Te alendæ juventutis, & optimis ſtudiis imbuendæ curam præſtantiſſimum principis Viri munus putare. Nos teſtes præ ceteris ſumus, quos Te parentem alterum præſentem intueri juvat, quem utilitatibus noſtris proſpicere, omnia benigno nutu moderari, animos noſtros vultu, & clementia erigere, & confirmare, & ad nos uſque deſcendentem rebus noſtris aliquando intereſſe videmus. Ad me quod attinet, erit certe, quod mihi perpetuo gratuler, cui præter cætera illud dederis, ut ſatis amplum laborum meorum præmium conſequi poſſem, ſi hoſce meos ſtudiorum quaſi fructus ita Tibi dicarem, ut animum ſemper dicatum habui, & Tibi ſacrum. Quem ſaltem Te non omnino deſpecturum ſpero, ſi in eo velut adumbratam eam imaginem videas, quam dicunt Sapientes in hominum animis relicturam, ſi propriis oculis cerni poſſet, Virtutem, quæ qua potiſſimum aptiore forma induta meo pectori impreſſa exſtet, liceat puderi Tuo non agnoſcere, cum omnes norint.

381

I.

CHriſtum eſſe verum Meſſiam antiquis promiſſum Patribus, eumdemque verum Deum ab Æterno Patre in hanc terram miſſum, ut morte ſua univerſum genus humanum ſalvum faceret, præter apertiſſima Prophetarum vaticinia, maxima, atque adeo innumerabilia miracula, quæ ipſe, dum adhuc humanis rebus intererat, effecit, obſtinatis Judæis utrumque pertinaciter negantibus, omnem dubitandi anſam eripiunt: ita ut nullo pacto ſint excuſandi, quemadmodum teſtatur Chriſtus idem apud Joannem cap. 15. his verbis: *Si non feciſſem opera in eis, quæ nemo alius fecit, excuſationem haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.*

II.

Hæc eadem Chriſti divinitas contra Arianos, duobus clariſſimis Joannis teſtimoniis confirmatur, deſumptis altero ex Evangelii cap. 10., ubi Chriſtus ita loquitur: *Quod dedit mihi Pater, majus omnibus eſt*: Ad quæ verba Auguſtinus tractatu 48. in Joannem: *Quid dedit*, inquit, *Filio Pater majus omnibus? ut ipſe illi eſſet unigenitus . . . . Pater filio gignendo dedit, ut Deus eſſet, gignendo dedit, ut ſibi coæternus eſſet, gignendo dedit, ut æqualis eſſet.*

III.

Altero vero ex ejus Epiſtolæ primæ cap. ultimo, quod eſt hujuſmodi: *Et ſimus in vero filio ejus Jeſu Chriſto; hic eſt verus Deus, & vita æterna.* Quæ Joannis verba adverſus Neſtorium urget Gregorius Magnus lib. 11. Epiſtola 67. ad Quiricum Epiſcopum: *Quid*, inquit, *de Omnipotente filio ſentiat, adjunxit: Et ſimus in vero filio ejus Jeſu Chriſto: Ecce, ait, verum Deum Patrem, verum ejus filium Jeſum Chriſtum. Quem verum filium quid eſſe ſentiat, apertius oſtendit; Hic eſt, inquit, verus Deus, & vita æterna.*

IV.

Turpiter olim erravit Neſtorius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, duas Perſonas, Divinam ſcilicet, & humanam in Chriſto eſſe affirmans, proptereaque duarum naturarum conjunctionem in Chriſto non *phyſicam*, ſed *moralem*, non, ut Scholæ loquuntur, *ſubſtantialem*, ſed *accidentalem* eſſe contendebat, arbitrans, Chriſti dignitati conſulere, ſi diceret, conjunctionem illam eſſe quidem multo majorem ea, quæ Deo cum juſtis, & ſanctis hominibus intercedit, ſed tamen generis ejuſdem; atque ita Chriſtum non eſſe verum Deum, Æternoque Patri Homouſion, opinabatur.

V.

Contra hanc peſtiferam, ſacrilegamque Neſtorii doctrinam magno argumentorum apparatu pugnavit Celeberrimus Eccleſiæ Pater Divus Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, eumdemque, cum in ſententia ſua obſtinatus permaneret, & palinodiam canere detrectaret, duodecim anathematiſmis, quos paulo poſt Epheſini Concilii Patres auctoritate ſua roborarunt, in Alexandrino Concilio damnavit. Primi, & tertii anathematiſmi verba ſunt hæc: *Si quis non confitetur, Emmanuelem (hoc eſt Chriſtum) eſſe verum Deum, anathema ſit. Si quis in uno Chriſto dividit hypoſtaſes, eaſque ſolummodo nectit, dignitate, auctoritate, poteſtate, & non potius phyſica conjunctione, anathema ſit.*

VI.

Hi Divi Cyrilli anathematiſmi non ſunt hæreſi Apollinariſtarum infecti, & fœdati, ut exiſtimabat Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus. Nimius ejus amor, quo Neſtorium proſequebatur, in cauſa fuit, quamobrem ſecus, ac ſonant, utriuſque verba acciperet, utque neque latere virus ſub Neſtorii verbis noſceret, nec in Cyrilli anathematiſmis ſanam, piam, Eccleſiæque Catholicæ conſentientem doctrinam contineri animadverteret.

VII.

Neſtorii hæreſim maxime averſatus, & peroſus Eutyches Presbyter

ter in magno Conſtantinopolitano Cœnobio Archymandrita ab uno extremo errore in extremum alium prolapſus eſt, contendens, in Chriſto non modo perſonam unam, verum etiam unam ſolummodo naturam eſſe. *Eutyches*, ita loquitur Leo Magnus ſerm. 8. de Nativit. Domini, *recentioris ſacrilegii prophanus aſſertor unitionem quidem in Chriſto duarum confeſſus eſt naturarum, ſed ipſa unitione id dixit effectum, ut ex duabus una remaneret.* Jure igitur a Patribus Chalcedonenſis IV. Generalis Concilii ſæculo V. ab Imperatore Martiano convocati, anathemate perculſus fuit. *Confiteamur*, act. 2. illius Concilii, *in noviſſimis diebus filium Dei Unigenitum in duabus naturis inconfuſe, immutabiliter, indiviſe, inſeperabiliter agnoſcendum, numquam ſublata differentia naturarum propter conjunctionem.*

VIII.

Communio, uti vocant Idiomatum, in Chriſto locum habuit, per quam fit, ut quæ ſunt hominis Deo, & viciſſim, quæ ſunt Dei, homini tribuantur: Licet Petrus Fullo ſæculo V. increpitus fuerit a Felice III. Romano Pontifice in Epiſtola ad illum miſſa, *quod media in Eccleſia prædicare auſus eſt, unum de increata, & individua Trinitate eſſe paſſum*: & ſæculo VI. Hormiſdas Pontifex Maximus Monachos quoſdam Scythas reprehenderit, dicentes, *unum de Trinitate eſſe crucifixum*. Idcirco enim Felix III. Petrum Fullonem increpuit, quia illa loquendi forma abutebatur, & hanc illi ſubjectam notionem eſſe volebat, ipſam filii Divinam naturam mortem perpeſſam fuiſſe; Hormiſdas vero illos Monachos objurgavit, quia enuntiationem illam tanquam hæreticam rejciebant.

IX.

Communionem hanc idiomatum Chriſto tribuendam eſſe dicimus, hoc tamen pacto, ſi ad eam ſignificandam *concretas* voces adhibeamus, non ſi utamur *abſtractis*; ex his fit conſequens, erraſſe maxime Lutheranos quoſdam hac noſtra ætate *Ubiquiſtas* appellatos, qui humanam Chriſti naturam, ob admirabilem illam, & ſingularem cum Divina Perſona, quæ per omnia loca extenditur, conjunctionem, immenſam eſſe, & ubique locorum eſſe, propterea que enuntiationem hanc: Humanitas Chriſti eſt ubique, veram eſſe contendebant.

X. Si-

X.

Simonis Magi, Cerdonis, Marcionis, Manichæorum, & Priſcillianiſtarum errorem averſamur, dicentium, Chriſtum non aſſumpſiſſe Corpus verum ex carne, oſſibus, ſanguine, nervis, cæteriſque partibus coagmentatum, quale noſtrum eſt, ſed fucatum, & ſimulatum, quod figuram ſolummodo Corporis præſeferebat. Hanc fuiſſe Priſcillianiſtarum mentem aperte colligitur ex his Leonis Magni Epiſt. 93. verbis ad eos pertinentibus. *Chriſtum Dominum in vera hominis natura natum eſſe non credunt, ſed per quamdam illuſionem oſtentata videri volunt, quæ vera non fuerint, ſequentes dogma Cerdonis, atque Marcionis, & cognatis ſuis Manichæis per omnia concordantes.*

XI.

Idem dicendum eſt de errore Valentini, qui fatebatur quidem, verum, & ſolidum fuiſſe Chriſti corpus, ſed tamen contendebat, illud a Virgine non accepiſſe, ſed ſecum de Cœlo detuliſſe, & cœleſti hoc corpore indutum, per uterum Virginis tranſiviſſe, tranſeundoque ad nos iviſſe. Ita Valentinum ſenſiſſe teſtatum nobis reliquit Auguſtinus in lib. de Hæreſibus hæreſi II., quo loco ſcribit, *Valentinum finxiſſe Chriſtum a Patre miſſum, ſpirituale, vel Cæleſte corpus ſecum attuliſſe, nihilque aſſumpſiſſe de Virgine Maria, ſed per illam, tanquam per rivum, aut fiſtulam ſine ulla de illa aſſumpta carne tranſiſſe.*

XII.

Quemadmodum Valentiniani in eo errarunt, ut Chriſto verum Corpus auferrent, ita Priſcillianiſtæ medio ſæculo IV. in eo, ut eumdem Chriſtum vera Anima ſpoliarent. *Principio quidem diſtinguebant*, ita de iis loquitur Socrates lib. 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 46. *Verbum in myſterio Incarnationis hominem abſque Anima aſſumpſiſſe, poſtea vero quaſi priſtinum corrigentes errorem adjunxerunt, Animam quoque Verbum aſſumpſiſſe, ſed mente carentem, divinumque Verbum in locum Animæ ſubrogatum fuiſſe.*

XIII.

Ex eo, quod duæ fuerunt in Chriſto naturæ divina ſcilicet, & hu-

humana ex vero humano corpore, veraque humana Anima conſtans, ſequitur, duas fuiſſe etiam in eodem Chriſto voluntates; duo item ab his proficiſcentium genera actionum, divinas alias, alias humanas; neque audiendi ſunt Theodorus Pharanitanus Epiſcopus, Cyrus Epiſcopus Alexandrinus, Sergius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ejuſque ſucceſſores, Pyrrhus, & Paulus, & tandem Macharius Patriarcha Antiochenus, qui idcirco *Monothelitæ* ſunt dicti, quia licet duas perfectas naturas in Chriſto eſſe dicerent, unam ſolummodo voluntatem, & actionem, nempe Divinam in eodem Chriſto fuiſſe, & ſibi, & aliis perſuadere conabantur.

XIV.

Nihil favet Monothelitarum cauſæ Vigilius Romanus Pontifex, quem narrat Liberatus in Breviario cap. 22. in Ep. ad Theodoram Auguſtam, vel ad Theodoſium Antemium, & Severum Epiſcopos miſſa, docuiſſe, non eſſe *in Chriſto duas formas*, *unamque agentem cum ſua communione*. Etenim vel Epiſtola hæc Vigilii revera non fuit, ſed ab Hæreticis ſub ejus nomine vulgata, ut exiſtimat Baronius; vel ſi Vigilii fuit, adhuc nullius eſt auctoritatis; quia ſcilicet tunc ille Pontifex nondum creatus erat.

XV.

Quamvis Honorius Romanus Pontifex nonnulla ſcripſerit, quæ Monothelitarum hæreſi favere videntur, quemadmodum ſunt ea, quæ reperiuntur in Epiſtola ad Sergium miſſa, quæque actione 12. ſexti generalis Concilii lecta eſt, ubi ait, *eſſe unam voluntatem Domini noſtri Jeſu Chriſti*, quibus ſimilia habet in ſecunda Epiſtola actione 13. ejuſdem Concilii perlecta, & inter Pyrrhum, Cyrum, Theodorum, cæteroſque Monothelitas numeratus fuerit a Patribus Generalis VI. Concilii, tamen illorum hæreſim nunquam approbavit.

XVI.

Nullam in Chriſti humana natura ignorantiam fuiſſe, ſed plenam, cumulatamque rerum omnium cognitionem, & ſcientiam credimus, & conſtanter confitemur contra Themiſtium Diaconum Alexandrinum, ejuſque Diſcipulos, qui Agnoetæ ſunt appellati, de qui-

quibus hæc habet Leontius libro de ſect's act. 10. *Agnoetæ confitentes omnia, ſicut Theodoſiani, diſcrepant in hoc, quod Chriſti humanitatem ignorare Theodoſiani negant, illis ignorare affirmantibus; ajunt enim per omnia Chriſtum nobis ſimilem eſſe: quod ſi nos ignoramus, & ipſum ignoraſſe.*

XVII.

Ex hac plena, cumulata, nullaque ne minima quidem ignorantiæ labe contaminata ſcientia, quæ in Chriſti humana natura fuit, illud conſequitur, eumdem Chriſtum fide caruiſſe, quæ cum, ut teſtatur Apoſtolus Epiſt. ad Hebræos cap. 11. nihil aliud ſit, niſi *argumentum non apparentium*, illorum mentibus, in quibus ineſt, tenebras maximas offundit, & obſcure vident ope fidei, quæcumque vident, & per nebulam, & caliginem vident.

XVIII.

Cum Praxeani, & Sabelliani, quemadmodum ait Leo Magnus ſerm. 4. de Nat. Dom. *veram divinitatem intelligere non valerent, & unam, eamdemque crederent ab triplici appellatione perſonam*, exiſtimarunt, & Patrem, & Spiritum Sanctum humanam carnem aſſumpſiſſe, mortemque occubuiſſe, & ob hanc cauſam ab Auguſtino in lib. de Hæreſibus num. 41. *Patripaſſiani* ſunt nominati. Nos vero illorum errorem maxime peroſi ſolum divinum Filium hominem factum prædicamus.

XIX.

Chriſtus in hunc Mundum venit, ut univerſum hominum genus, quod jam perierat, ſanguine ſuo, atque adeo morte ſua redimeret: *Ipſe eſt*, ait Joannes Epiſtolæ ſuæ 1. cap. 2. *propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed pro totius Mundi*; ex quo apparet, quam falſa ſit Joannis Calvini ſententia, qui concedebat, Chriſtum mortuum quidem fuiſſe pro illis, qui poſt ejus adventum fuerunt, pro illis etiam, qui eumdem adventum anteceſſerunt, ſed pro illis ſolummodo, qui Prædeſtinati appellantur, mortuum affirmabat.

XX.

Dici non poteſt, quot, quantaque bona hominibus Chriſtus mor-

te

te ſua promeruerit. Per hanc a Dæmonis poteſtate erepti ſuimus, a pœnis peccatis noſtris juſtiſſime debitis liberati, Dei amici effecti; ad Regnum Cœlorum apertus aditus; gratia, cœteraque cum gratia conjuncta bona nobis uberrime donata. Quæ omnia in cauſa fuerunt, cur Tridentini Concilii Patres ſeſs. 6. cap. 7. ſtatuerent, *noſtræ juſtificationis cauſam meritoriam eſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui ſua Paſſione ſanctiſſima, in ligno Crucis nobis juſtificationem promeruit, & pro nobis Deo ſatisfecit.*

XXI.

Hoc Catholicæ noſtræ Religionis dogma eſt, Catholicorum omnium conſenſu approbatum, a ſacris Litteris, a ſanctis Patribus, a Conciliis confirmatum, Chriſtum vere mortuum fuiſſe. Credendum igitur eſt, in triduo illo mortis Chriſti animam ab ejus corpore ſeparatam fuiſſe; nihil enim aliud eſt mors, niſi animæ a corpore diſceſſus.

XXII.

Licet vere, & phyſice Anima a Corpore Chriſti diſceſſerit, a neutra tamen parte Divinitatem ſeparatam eſſe affirmamus. Id cum multa alia, tum ſanctiſſimi Eccleſiæ Patres nos docent, Athanaſius, Gregorius Niſſenus, Joannes Damaſcenus, aliique permulti. Poſtremi verba ſunt hæc: *Licet Chriſtus ut homo mortuus fuerit, ſanctaque ejus Anima a puro Corpore diſceſſerit, tamen a neutro ſejuncta eſt Divinitas.*

XXIII.

In triduo mortis Chriſti, quo tempore Anima a Corpore ſeparata fuit, a neutra parte ſejuncta divinitas, Chriſti Corpus in Sepulchro jacuit, ut apertiſſime Evangelici Scriptores tradunt, Anima vero ad inferos vere deſcendit, hoc idem divina Sapientia Eccleſiaſt. cap. 24. teſtante his verbis: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ*, & Paulo ad Epheſ. 4. *Deſcendit ad inferiora terræ*, quod præfracte negant Calvinus, aliique hujus noſtræ ætatis Hæretici.

XXIV.

Utrum in Purgatorio, & in Damnatorum carcere fuerit Chriſti animus

mus physica sua præsentia, an vero potestate, territando scilicet impios intimo afflatu suo; Justos vero in Purgatorio degentes in futuræ beatitatis spe confirmando, de hoc nullam quæstionem volumus. Quod in præsentia defendere parati sumus hoc est, neminem a Christo ex Inferorum carcere extractum fuisse; quia nimirum tum in Dæmonibus, tum in damnatis hominibus, quidquid Origenes dicat, Inferorum pœnæ ita æternæ sunt, ut nullo umquam tempore sint desituræ; propterea que ad fabulas amandamus illam, quæ narratur de Trajano Historia precibus Divi Gregorii Magni ab Inferorum suppliciis liberato.

XXV.

Illo mortis Christi evoluto triduo Christum virtute propria ad vitam rediisse, primumque omnium resurrexisse constanter tenemus. Primam doctrinæ hujus nostræ partem confirmant hæc Christi verba apud Joannem cap. 10. *Nemo tollit Animam meam a me, sed ego pono eam a me ipso, & iterum sumo eam*; alteri vero certam fidem faciunt hæc Pauli 1. ad Corinth. cap. 15. *Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium.*

XXVI.

Hæc Josephi Flavii Judæi Historici verba lib. 18. antiquitatum Judaicarum cap. 4. *Fuit autem hoc tempore Jesus, Vir sapiens; si tamen illum virum oportet dicere: erat enim mirabilium operum effector, Magister hominum, qui vera libenter amplectuntur; & plures quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit. Christus hic dicebatur. Cumque eum a Principibus gentis suæ accusatum Pilatus ad Crucem damnasset, ab eo diligendo non destiterunt, qui primum cœperant; nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit: cum divini Vates hæc, aliaque plurima admiranda de ipso prædixissent. Neque ad hanc diem deficit denominatum ab eo Christianum genus*, hæc inquam, verba & ad Christum pertinent, & ipsius Josephi Flavii sunt, non quorumdam Christianorum fraude in illius libros intrusa, quemadmodum Montacutius, Blondellus, Tanaquillus Faber, aliique nonnulli autumant.

FINIS.